3 1761 07032941 2

Schelling, Friedrich Wilhelm
Joseph von
De Marcione

BR
65
M376S35
1795a

DE

MARCIONE
PAULLINARUM EPISTOLARUM EMENDATORE

PRAESIDE

VIRO S. VENERABILI ATQUE *AMPLISSIMO*

GOTTLOB CHRISTIANO STORR

THEOL. D. ET PROF. P. O. STIP. THEOL. SUPERATTENDENTE

PRO EXAMINE THEOLOGICO
DISPUTATURUS

SCRIPSIT
FRIDERIC. GUIL. JOSEPH. SCHELLING
A. A. M.

TUBINGAE EX OFFICINA REISIANA
CIƆIƆCCXCV.

RODOPI

PHILOSOPHICAL FACSIMILES

NO 2

Editions Rodopi 1968

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/demarcionepaulli00sche

DE
MARCIONE
PAULLINARUM EPISTOLARUM EMENDATORE

PRAESIDE

VIRO S. VENERABILI ATQUE *AMPLISSIMO*

GOTTLOB CHRISTIANO STORR

THEOL. D. ET PROF. P. O. STIP. THEOL. SUPERATTENDENTE

PRO EXAMINE THEOLOGICO DISPUTATURUS

SCRIPSIT

FRIDERIC. GUIL. JOSEPH. SCHELLING

A. A. M.

TUBINGAE EX OFFICINA REISIANA
CIƆIƆCCXCV.

LIBRARY
JUL 1 8 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

BR
65
M376S35
1795a

S. ROM. IMPERII

LIBERÆ CIVITATIS

ESSLINGENSIS

MAGNIFICIS CONSULIBUS

ILLUSTRI PRÆTORI

PRÆNOBILISSIMIS

COLLEGII SECRETIORIS ET SENATORII ORDINIS

MEMBRIS

CONSILIARIIS

ET

CANCELLARIÆ DIRECTORI

VIRIS

ERUDITIONIS LAUDE MERITORUM ET GENTIS FAMA

CONSPICUIS

STIPENDII BURKARDTIANI ADMINISTRATORIBUS

DEXTERRIMIS

FAUTORIBUS COLENDISSIMIS

DISSERTATIONEM HANC OFFERT,

OBSERVANTIAM SUAM

TESTATUR

SEQUE

PATROCINIO IPSORUM OBSEQUIOSE COMMENDAT

AUCTOR

FRID. GUILIELMUS JOSEPH. SCHELLING

PHILOS. M. SERENISS. WIRTEMB. DUCIS STIP. EXAM. THEOL. CAND.

Hæreticorum veterum haud paucos a celebratiſſimis eccleſiæ ſcriptoribus librorum ſacrorum impie deprauatorum accuſatos fuiſſe, inter omnes conſtat *a*) : nemo tamen illo crimine notior Marcione, ſingularis Gnoſticorum ſectæ, ſecundo p. C. n. ſeculo florentis, auctore. Neſcio vero, annon iis, qui ad hanc cauſam diligentius explorandam accedunt, jure quodam verendum ſit, ne multos inueniant, ejusmodi diſquiſitionibus haud multum pretii ſtatuentes, cum ſane parum referre videatur, ſcire, quid primorum ſeculorum hæretici contra ſacros Chriſtianorum libros tentauerint, modo certi ſimus, (certos autem nos eſſe, quis neſciat?), nihil illarum corruptionum in eos codices, quorum auctoritate ſtandum jam nobis eſt, emanauiſſe. Verum enimuero ne ita quidem codicum noſtrorum ſecuri eſſe poſſemus, niſi inſignis doctiſſimorum hominum in eruenda antiquiſſima ſacri textus hiſtoria, labor atque induſtria anteceſſiſſet. Hanc vero ipſam moleſtiſſimis hinc illinc tenebris laborare, faſſos eſſe ſcimus eos maxime, qui in hoc litterarum genere reliquos omnes facile antecellunt. In hoc autem ſtatu ſi textus N. T. hiſtoriam conſpicimus, illa certe, qua premitur, obſcuritas nihil eorum ſpernere nos jubet, quibus vel vllo modo ad depellendas iſtas tenebras lucemque adeo obſcuriſſimæ antiquitati inferendam vti nos poſſe ſperandum eſt. Poſſe autem reuera ab iſtis veterum hæreticorum accuſationibus, quæ in ſcriptis celeberrimorum auctorum pæne plerisque

a) Quicquid de ea re conqueſti ſunt antiqui ſcriptores collectum invenies in *Barthol. Germonii de veteribus haereticis, eccleſ. codicum corruptoribus* libris duobus. Paris. ed. ap. Le Comte 1718.

riſque audiuntur, quædam certe hiſtoriæ textus N. T. illuſtrandæ præſidia peti, niſi animo id præcipere poſſemus, clarum tamen & certum facerent exempla eorum, quibus, quicquid in re critica N. T. lucis eſt, maxima ex parte acceptum referimus. Illis namque veterum hæreticorum accuſationibus non tantum MILLIUM *b*) & WESTENIUM *c*), ſed etiam, qui multo illis accuratius cauſam hanc explorauit, RICH. SIMONIUM *d*) ſuam in rem vſos eſſe conſtat. Simonio autem, qui Marcionis præcipue deprauationibus, vt ab Epiphanio notatæ fuerant, operam ſuam impenderat, adjunxit ſe immortalis memoriæ vir, SEMLERUS, non modo hiſtoriæ ab illo concinnatæ editor commentatorque nouus, ſed ipſe etiam ſubtilis illarum accuſationum judex atque inueſtigator *e*). Neque etiam altiorem ejus rei indaginem ſpreuit, qui primus perfectam atque omnibus numeris abſolutam hiſtoriæ textus N. T. imaginem deſcripſit, S. V. GRIESBACHIUS *f*), qui quomodo illis hæreticorum veterum accuſationibus & ipſe vſus ſit, & alios vti voluerit, vix opus eſt dicere. Neque aliter fieri potuit, quam vt eædem plurium ſimul virorum doctorum in ſe attentionem conuerterent, e quibus vnum nominaſſe ſufficiat, qui ſingulari diſputatione cauſam potiſſimum Marcionis perſecutus eſt *g*), LOEFELERUM, Virum S. V.

Omnem

b) *Proll. in N. T.* §. 328-340. 361. 362. 649-651. 721-728.

c) *Proll. &c. ed. Seml. p.* 211. *Libelli ad criſin atque interpretationem N. T. pertinentes p.* 75. *N. T. ed. ab eodem T. II. p.* 864. al.

d) *Hiſt. crit. N. T. vers. vern. P. I. p.* 267.

e) In *not. ad Simonii hiſt. crit. N. T.* Hal. 1780. ed. ad *Wetſtenii Proll. p.* 214. ſs. etiam in *commentariis*, quos in ſingulos N. T. libros edidit, paſſim. De *Euangelio* autem Marcionis ſingularis ejus comment. extat in *praef. ad Townſonii, Angli, librum de Evangel.*

f) *Curae in hiſtoriam textus graeci Epp. Paullinarum Spec. Imum. Sect. III.* §. 7. 8

g) *Diſp qua Marcionem Paulli epp. & Lucae Ev. adulteraſſe dubitatur,* ed. 1788. recuſa in *ſylloge commentt. theol. ed. a. VV. cell.*

Omnem vero hanc cauſam ita exhauſiſſe virorum, quos modo diximus, ſubtilitatem ac diligentiam, vt nihil prorſus aliorum curis relictum manſerit, ipſi certe haud vsquam pronunciarunt, neque igitur mihi, ad eandem cauſam diſceptandam acceſſuro, verendum eſſe arbitror, ne prorſus inutilem operam ſuſcepiſſe videar juſtis ejusmodi disquiſitionum arbitris: quin adeo ſperare me fateor, fore vt, nouam rei totius explorandæ rationem ineundo, hiſtoriam N. T. criticam, ſi non nouis prorſus obſeruationibus aucturus, eas ſaltem, quæ ab aliis anteceptæ ſunt, nouis exemplis confirmaturus aliquam certe gratiam operæ apud eos mereain, quos vnice de ejusmodi rebus judicare jus fasque eſt. *Fines* libelli titulus deſcripſit. Nihil de Evangelio Marcionis dicemus, nihil de reliquorum Apoſtolorum epiſtolis, quas rejectas ab eo ſcimus. Sed ſatis de conſilio noſtro. Ad rem ipſam properamus.

§. I.

Paulli epiſtolas a Marcione corruptas fuiſſe teſtes habemus Irenæum maxime, Tertullianum, Epiphanium atque incertum *Dialogi adverſus Marcionitas* auctorem: ad quos accedunt, qui minorem illis celebritatem nacti ſunt rerum hæreticarum ſcriptores, & qui paſſim de ea re conqueſti ſunt Origenes *h*) Hieronymus, *i*) Cyrillus Hieroſ., *k*) Chrysostomus *l*), alii.

cell. Velthuſenio, Kuinoelio & Rupertio Vol. I. p. 180. *ſs.* Eandem excerpſit ill. *Eichhornius*, ſuis animadverſionibus additis, in *Allg. Biblioth. d. bibl. Litteratt. P. II. p.* 320. *ſs.*

h) *Comm. in ep. ad Rom. L. X.* § 40. *Opp. Orig.* ed. *de la Rue Vol. IV. p.* 687. Nolo citare locum *epiſtolae ad Alexandrin.* ap. *Rufinum de adulterat. libr. Orig.* (*Opp. Orig. Vol. IV. app. p.* 52.) Ejus enim *integritatem* ſuſpectam reddit *Hieronymus L. II. c.* 4. *adv. Rufinum*, qui illa epiſtola crimen correcti a ſe Origenis tegere voluit.

i) *Praef. in ep. ad Tit. Philem. Comm. in Gal. III.*

k) *Catech. VI.* 10. *XVI.* 3. *ed. Oxon.*

l) *ad Gal.* 1, 6.

alii. Sequemur autem antiquiorum maxime teſtium auctoritatem. De quorum fide ſi in vllam partem certi eſſe voluerimus, princeps exiſtit quæſtio: *vtrum reuera codice Marcionitico vſi ſint, necne?* cui quidem ſi ſatisfecerimus, hoc vno jam plurimum profeciſſe putandi erimus.

Ad *Irenæum* quod attinet, nusquam ille ſaltem Marcionis *Αποςολικον*, (ita enim codicem Paullinarum epiſtolarum ab eo concinatum appellant), inſpectum a ſe affirmat. Libros Valentinianorum ſe vidiſſe, congreſſum etiam eſſe cum quibusdam ejus ſectæ hominibus ſtatim, ab initio libri memorat, nihil autem ejusmodi de Marcionitis. Singularem quidem adverſus Marcionem librum moliri ſe dicit, in quo ex ipſius ſcriptis atque locis N. T., quos ſalvos atque integros reliquerit, opiniones Marcionis refutaturum ſe eſſe promittit *m*) ſed nullo quem vidi loco jam tum, cum hæc ſcriberet, vidiſſe ſe Marcioniticum librum affirmat, neque vnquam nomen, quod contraxerat, diſſolutum ab eo ſcimus. Neque adeo ſatis certo ſtatui poteſt, eum, quicquid de ea re ſciret, ex antiquioribus libris, Justini Martyris, quem ipſe etiam aduerſus Marcionem allegat, *n*) aliorumque ſcriptorum hauſiſſe. Accedit, quod nusquam ad exempla, quibus accuſationem ſuam illuſtrare potuiſſet, deſcendit, adeoque omnis prorſus ratio ſublata eſt, qua viſum ab eo Marcioniticum codicem aut omnino *certo* ei conſtitiſſe de corruptionibus, quas queritur, vlla concludendi probabilitate efficere poſſemus. Longe id vero aliter in *Tertulliano*, *Epiphanio*, reliquis, qui, qualem Marcionitici codicis ſcientiam habuerint, eorum, quæ de eo referunt, examine diſcemus.

§. II.

m) *Adv. haer. L. I. c.* 27. §. 2. *n*) *L. IV. c.* 6. §. 1. atque ex *L. III. c.* 12. §. 12. *ed. Maſſuet.* h. l. *Euſebius H. E. IV.* 17.

§. II.

Ac primo quidem, quemnam in codice ſuo *ordinem* ſecutus ſit Marcio, nonniſi *fama* ſe ſcire *Epiphanius* ipſe fatetur *o*). Is enim dudum notus eſſe poterat e Tertulliano, qui libro adv. Marc. quinto eundem ordinem in refutando ex epiſtolis Paullinis hæretico ſecutus fuerat, quem Epiphanii recenſio exhibet, niſi quod hæc epiſtolium ad Philemonem epiſtolæ ad Philippenſes anteponit. Tertullianus autem nusquam Marcionis ordinem a ſe ſervatum affirmavit. Igitur aut ſui codicis ordinem, aut, quod multo etiam probabilius eſt, quem Marcionis eſſe *ſuſpicaretur*, ſecutus fuiſſe putandus eſt. Facile autem in hunc maxime ordinem incidere potuit, cum, vt ipſe ait *p*), principalem aduerſus Judaismum epiſtolam eam vellet Marcio, quæ ad Galatas ſcripta eſt, adeoque ab hac ejus refutandi initium faciendum eſſet, reliquæ autem magnitudinis rationem ordine, quo ſe inuicem excipiunt, ſequantur. *q*)

Numerum epiſtolarum quod attinet, epiſtolas ad *Timotheum* & *Titum* ab eo recuſatas, narrat Tertullianus, &, cui res dudum ex illo innotuiſſe poterat, Epiphanius. Illum vero Marcionis ipſum codicem vidiſſe epiſtolarum ab eo excluſarum notitia non euincit, cum hoc certe etiam in vulgus notum eſſe potuerit, quasnam epiſtolas receperit, quasnam excluſerit hæreticus. Quin ille omnem hanc notitiam *conjecturæ* debere potuit, qua Marcionem haud *potuiſſe*

o) *Haereſ. XLII, 9.* Ἁι δε επιϛολαι, ἁι παρ ἀυτῳ λεγομεναι εισι κ. τ. λ., quæ verba neſcio quo jure vertat *Petauius* „epiſtolæ ab eo *probatae*," cum ſane vertenda ſint: „epiſtolæ, quæ apud eum extare dicuntur."

p) *Adv. Marcion. L. V. c. 2.* ed. *Pamel.*

q) *Cfr. S. V. Storrium über den Zwek Johannis p. 257.*

tuiſſe recipere eas epiſtolas, quæ *ψευδονυμον γνωσιν* oppugnarent, *concludebat.* Eam certe conjecturam ſub *ironia* latere, qua librum Vtum adu. Marcion. clauſit, vix mihi tempero, quin pronunciem. „*Soli huic*, inquit, *epiſtolæ*, (loquitur autem de epiſtolio ad Philemonem) *brevitas ſua profuit, vt falſarias manus Marcionis euaderet.* (Epiſtolium autem ad Philemonem in Apoſtolico Marcionis extitiſſe, multo minus auſim ſtatuere, quam epiſtolas ad Tim. & Titum. Neque etiam de eo Tertullianus aliter, quam conjectura, pronuntiauit, quia ſcilicet nihil ab ejus breuitate *metuendum* hæretico fuiſſe crederet: hoc enim ſibi velle Tertullianum, ſatis, opinor, clarum eſt. *r*) *Miror tamen*, pergit Tertullianus, *quum ad vnum hominem factas litteras receperit, quid ad Timotheum duas & vnam ad Titum de eccleſiaſtico ſtatu compoſitas recuſaverit.* Manifeſta ironia eſt, quam dicendi figuram frequentiſſimam eſſe Tertulliano, omnes norunt. Nempe mirum prorſus eſſe dicit, recuſaſſe Marcionem epiſtolas, ad *eccleſiam vniuerſam* pertinentes, cum epiſtolium ad *vnum* hominem ſcriptum recipere non dubitaſſet, ſcilicet hæc omnia, ut ſignificaret, aliud quid cauſæ ſubeſſe, cur has maxime epiſtolas recuſauerit, eam nempe, quam ſine verborum ambagibus CLEMENS Alex. *s*) attulit, atque ex eo hauſerunt recentio-

r) Idem poſtea ex eo *Hieronymus* repetiit, in *Praef. in ep. ad Philem.* „In hanc, inquit ſolam manus non eſt auſus mittere, quia ſua illam brevitas defendebat." Omnia alia *Epiphanius* queritur. p. 373. *απο της προς Φιλημονα ουδεν παρεθεμεθα, δια το ὁλοσχερως αυτην διαστροφως παρ᾽ αυτῳ κεισθαι.* Sine dubio eum offendebat *natiua* epiſtolæ breuitas, vnde vt hoc obiter moneam, apparet, eum Marcionis corruptiones in codicibus etiam *vulgaribus* quæſiiſſe.

s) *Strom. L. II. p.* 383. *Οὑτως και την γνωσιν (διαβεβληκεν) ἡ ψευδης γνωσις ἡτε ὁμωνυμως καλουμενη· Περι ἡς ὁ Αποστολος γραφων, ω Τιμοθεε*

centiorum criticorum plerique. *t*) Verum ea certe Tertulliani conjectura falſiſſima fuerat. Nam quod ψευδον. γνωσιν nominat Apoſtolus, Marcionem certe a recipiendis iſtis epiſtolis abſterrere nullo modo potuit, cum certe *ſuam* γνωσιν haud ψευδωνυμον crederet *v*), γνωσις autem, quam vituperat Apoſtolus, manifeſte Judaica ſit (1 Tim. 1, 7. Tit. 1, 10. ſs.), quæ legem Moſaicam non admitteret tantum, ſed & ſancte pieque obſeruatam vellet. Nam, quod multi jam doctiſſimorum hominum indigitarunt *x*), repeti autem ſatis non poteſt, multo latius, ac plerique credunt, nomen illius Philoſophiæ patuit, cum tota iſta philoſophandi ratio diuerſiſſimarum opinionum etiam natura ſua patientiſſima eſſet: vnde efficitur, mirum haud eſſe, ipſos etiam Moſaicæ legis defenſores Gnoſticorum nomine comprehendi. Hanc ipſam autem judaicam γνωσιν nemo Marcione vehementius oppugnauit. Igitur hanc certe ob cauſam epp. ad Tim. & Titum non rejecit. Quamcunque autem aliam excogitaueris, ex argumento epiſtolarum, Marcioni infeſto, hauſtam *y*) eluditur ipſo Tertulliani teſtimonio, cui ſi fides eſt, locis illis, ipſi contrariis, certe alia ratione quam totarum epiſtolarum rejectione, mederi Marcio poterat. Sin aliam,

μοθεε, Φησι κ. τ. λ. Ὑπο ταυτης ελεγχομενοι της Φωνης οἱ απο των αἱρεσεων τας προς τιμοθεον αθετουσιν επιστολας.

t) Etiam, quod mireris, *Corrodius* in *Critiſch. Geſch. des Chiliasmus P. II. p.* 41.

v) Cfr. S. V. *Storrium* l. c.

x) Vid. ex antiquioribus *Buddeum de eccleſ. apoſt. c.* 5. *Ittigium de haereſiarchis Sect. X. c.* 9. §. 4. *Vitringam* in *Obſ. ſacr. L. IV. c.* 9. §. 9. *J. G. Walchium* in *Exerc. de Hymenaeo & Phileto* inſerta *ejusd. Miſcell. ſacr. Amſtel.* 1744. *ed.* §. *III. ſs.*

y) *Beauſobrii* v. gr., decepti fortaſſe loco Tertulliani, *de præſcr. adu. h. c.* 32. Ita ille (*Hiſtoire de Manichée & du Manichéisme T. II. L. IV. C. VI.*) „Si Marcion les a rejettées, (ad Tim. & Titum epiſtolas), c'eſt apparemment à cauſe de ſon erreur ſur le *mariage* & en particulier ſur celui des prêtres & des Evêques."

am, (quæ quidem vnice probabilis eſt), rationem excogitaueris, ideo excluſas fuiſſe illas epiſtolas, quod, vt ait Tertullianus, de eccleſiaſtico ſtatu compoſitæ eſſent, ideoque ad cœtum ipſum, cui deſtinatus erat apoſtolicus ille codex, haud pertinere viderentur Marcioni, id profecto multo magis valiturum credo de epiſtolio ad Philemonem, quod multo etiam pauciora, quæ communis vtilitatis eſſent, continebat. Apparet igitur, quicquid de numero epiſtolarum, a Marcione receptarum referat Tertullianus, non ex ipſa codicis illius notitia profectum eſſe. Namque aut admiſerat epp. ad Tim. & Titum, quod negat Tertullianus, aut excluſerat, certe nulla alia de cauſa, quam quæ etiam epiſtolium ad Philemonem excluſiſſet, quod receptum tamen affirmat idem Tertullianus. z)

§. III.

Quod de *epiſtola ad Laodicenos*, in Apoſtolicum Marcionis recepta, memorat *Epiphanius*, eo miſere ignorantiam ſuam ipſe prodidit. Primo enim epiſtolæ, quæ ad Laodicenos ſcripta *ferretur* nonniſi *fragmenta* extare apud Marcionem affirmat, (εχει δε και της προς Λαοδικειας λεγομενης μερη), igitur *incertus* ſaltem hæſit, annon reuera extet ſingularis Apoſtoli ad Laodicenos epiſtola, quæ tamen incertitudi eum non impediit, quo minus eandem, cum in Marcionis codice extaret, mutilatam ab hæretico ſtatim etiam pronunciaret. Non extitiſſe autem in Apoſtolico Marcionis diuerſam ab epiſtola ad Epheſios epiſtolam ad Laodicenos, neque igitur mutilari potuiſſe, quæ non extabat, ex ipſo Epipha-

z) Ad *Philaſtrium* quis prouocauerit, qui (*Catal. eorum, qui poſt Chr. paſs. haer. rei facti ſunt c.* 44.) Paulli epiſtolas, niſi quæ ad Timotheum & Titum ſcriptæ eſſent, excluſas a Marcione, affirmat? Niſi forte quidam æquius putent, delere illud *niſi*.

Epiphanio patet, qui poſtea (p. 374. 375.) locum, ex ea allegatum a Marcione, affert, quem epiſtola ad Epheſios ad verbum exhibet. Nec tamen ideo negat, *hanc* a Marcione receptam fuiſſe, ſed vtramque nominat, atque adeo eo, quem diximus, loco mirum vtriusque conſenſum animaduertit. Patet igitur Epiphanium neque perſpexiſſe, *eandem* eſſe cum epiſtola ad Epheſios epiſtolam ad Laodicenos, neque tamen in alteram partem, *adulterinam* hanc eſſe decernere auſum fuiſſe: debebat autem vel hoc vel illud facere, ſi ſacrorum librorum & Marcionæi codicis ſatis gnarus erat.

Tertullianum a) ſi audias, *interpolatum* a Marcione Laodiceæ nomen queritur. *Eccleſiæ quidem*, inquit, *veritate epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam*, *non ad Laodicenos*, *ſed Marcion ei titulum aliquando interpolare geſtiit*, *quaſi & in iſto diligentiſſimus explorator*. Igitur translatio latina, qua Tertullianus alias vti ſolebat, facta erat ſine dubio e codice, qui *nullum* prorſus nomen præfixum haberet. Non enim quod *alium* pro recepto titulum *ſubſtituerit*, ſed quod *nouum* prorſus *ipſi* epiſtolæ *interpolauerit* Marcio, ægre fertur a Tertulliano. Neque, dum ad *Epheſios* emiſſam vult epiſtolam, ad *codicem* aliquem, cui nomen hoc præfixum eſſet, prouocat, ſed ad eccleſiæ traditionem, quam, vt ſcimus, etiam integræ lectionis vnicam normam fecit. Interpretationem autem a Koppio b) prolatam, quæ non *primum* epiſtolæ *verſum interpolatum*, ſed ipſam, quæ in codicibus præfigi ſoleret, *inſcriptionem adulteratam* a Marcione queri vult Tertullianum, verba ipſa non admittere videntur. Namque *interpolationem* queritur Tertullianus, *inſcriptionis* autem

a) *Adv. Marc. L. V. C.* 17. *ejus N. T. perpet. Annot. illuſtr.*
b) *Proll. in ep. ad Epheſ. in Vol. IV. ed. alt. p.* 6.

autem mutatio non interpolatio, ſed *deprauatio*, ſi placet, appellanda fuiſſet. Neque me mouet alter Tertulliani locus *c*), vbi ſe ad Epheſios *præſcriptam* habere epiſtolam, hæreticos vero ad Laodicenos affirmat. Hic enim de *inſcriptione* epiſtolæ loqui Tertullianum ſatis clarum eſt, ſed non video, quo jure inde effici poſſit, alterum locum idem ſibi velle, cum certe de titulo *ipſi epiſtolæ interpolato* ſatis manifeſte queratur. Extitiſſe autem codices in quibus Epheſi mentio abeſſet a verſu primo, non hoc modo Tertulliani teſtimonio, verum etiam Basilii M. *d*) atque Hieronymi *e*) loco conſtat, (non enim ferenda ſunt Koppii & Michaelis interpretamenta.) Illius autem lacunæ, in antiquiſſimis codicibus obſeruatæ, rationem aliquam probabilem, haud video, vnde petere poſſis, niſi ex interpretum complurium opinione, qui non ad vnum, ſed ad *plures* cœtus ſcriptam fuiſſe, quam ab Epheſiis nuncupamus, epiſtolam, argumentis, vt in tali re dari poſſunt, ſatis euidentibus euiciſſe, mihi quidem videntur. Namque hac ſumta facile tibi explicatu eſt, cur τοις παλαιοις των αντιγραφων, ut ait Baſilius, nullum prorſus nomen verſu primo præfigeretur, (nempe quod non vni, ſed pluribus eccleſiis deſtinatam fuiſſe epiſtolam conſtaret), junioribus autem exemplaribus ab iis, qui lacunam ferre non poſſent, vnum tantum nomen adjiceretur, (nempe, quia ſingulis aut nonniſi vna eccleſia, ad quam pertineret epiſtola, cognita eſſet, aut vna alteri præferen-

c) *Adv. Marc. L. V. c.* 11.

d) *Contr. Eunom. L. II. Opp. ed. Pariſ. T. II. p.* 57. Excerptus eſt locus ap. Koppium *p.* 8. & Michaelis *in Einl. ins N. T. P. II. p.* 1296.

e) *Comment. ad Eph. I,* 1. Qui locus non quidem codices, a quibus verba εν εφεσῳ abeſſent, Hieronymo cognitos fuiſſe probat, ſed ſcriptores ſaltem, qui, vt Baſilius, quærerent in h. l. *ſingulare* quid atque ιδιαζον vocis ΟΝΤΑΣ, quod facere non poterant, niſi codicibus viſis, a quibus verba εν εφεσῳ abeſſent.

ferenda videretur). Ex his omnibus autem efficitur, magnam jam antiquiſſimis temporibus in hoc loco lectionis diſcrepantiam fuiſſe, vnde facile conjectu eſt, cum ad Laodicenos etiam epiſtola noſtra pertinuerit, (Col. IV, 16.) *f*), aut ſaltem multis qui locum hunc legebant videri poſſet pertinuiſſe, Laodiceæ quoque nomen æque ac Epheſi compluribus græci textus non modo, verum etiam verſionum latinarum codicibus illatum fuiſſe, quorum vno cum in hoc loco Tertullianus vteretur, ſtatim etiam temerariam interpolationem, a Marcione tentatam, clamandi occaſionem oblatam ſibi credidit. Cur vero nullus codex ſuperſit, in quo Laodiceæ nomen etiam nunc extet, ſi quæris, multæ certe cauſæ cogitari poſſunt, veri ſimillima autem Semleri *g*) conjectura eſt, vrbis, maturo fato extinctæ, (qualis erat Laodicea, terræ motu euerſa), nomen etiam ſenſim ſenſimque extinctum ſuperſtitis vrbis nomini in codicibus tandem omnibus ceſſiſſe.

§. IV.

Igitur quæ de epiſtolarum a Marcione receptarum ordine numeroque referunt illi ſcriptores, vt codicem ipſum hæretici

f) Verba *την εκ Λαοδικειας επιςολην* vertenda ſunt, epiſtolam Laodicea ad vos *mittendam*, Laodicea *petendam*, quemadmodum in loco *Polybii* (a *Raphelio* notato) *ἡ εκ της Ρωμης πρεσβεια*, legatio eſt Roma *veniens*. Epiſtolam autem, Coloſſenſibus Laodicea petendam, eam eſſe, quæ ab Epheſiis nomen tulit, ex eo apparet, quod ſalutationes Laodicenſium epiſtolæ ad Coloſſenſes (IV, 15.) inſerit Paullus, quo certe opus haud fuiſſet, niſi illis epiſtolam ſcripſiſſet, quæ tales ſalutationes haud ferret, h. vero eſt epiſtolam non *vni* ſed *pluribus* eccleſiis deſtinatam, qualis eſt illa, quam ab Epheſiis appellare ſolemus. Quæ *Fabricius* (*in Cod. apocr. N. T. P. II. p.* 859.) obtendit, parum valent. Quamnam enim interpretationis auctoritatem habere apud nos poſſunt *Theodoretus*, *Chryſoſtomus*, *Oecumenius*?

g) *Hiſtor. Einl. zu Baumgartens Geſch. der Glaubensſtreitigk. P. I. p.* 95.

hæretici inſpectum ab eis fateamur, nondum nos vincere potuerunt. An itaque ſingularum lectionum, quas ex eo afferunt, ratio magis apud nos valitura ſit accuratior eorum exploratio docebit. Id vero ante omnia ratum habeamus, nonniſi eas lectiones, quæ nullam aliam explicationem, niſi ſtudioſam Marcionis deprauationem admittunt, certos de eo nos facere poſſe atque perſuaſos. Nam primo vbi juſta ſuſpicio extiterit, eas, quas afferunt lectiones, nonniſi ſuſpicionis eorum figmenta fuiſſe, igitur ne *lectionum* quidem diuerſarum nomen mereri; aut ita comparatas eſſe, vt in alio quocunque codice exiſtere potuiſſent, nullam profecto cauſam video, ejus maxime opinionis præferendæ, quæ lectiones illas ex ipſo Marcionis codice decerptas ſtatuit. Poterant autem in alio quocunque codice extare eæ lectiones, quæ e communibus lectionum variarum fontibus facile deriuari poſſunt, quæ librariorum incuriam, hominum ſciolorum impudentiam, aliorum ignorantiam non tranſcendunt *h*), aut quæ nihil exprimunt, quod Marcionis opinionibus præcipue fauere videri poſſit, aut quæ, ſi fauere videantur, in aliis etiam nunc codicibus ſuperſunt, quos a Marcione deprauatos nemo facile dixerit. Ejusmodi vero lectiones non ex Marcionis codice decerptos ſi ſtatuemus, nihil faciemus, quod juſto iniquius videri poſſit. Quodſi enim fidei illorum ſcriptorum totos nos dare volumus, id quoque eorum fide credendum erit, Marcionis corruptiones non ad eos tantum codices, quibus ipſe vſus fuerit, ſed ad reliquos etiam, in ipſa adeo eccleſia frequentatos, dimanauiſſe. *Hoc* enim queruntur Epiphanius & Tertullianus, qui adeo in verſionis latinæ, quam ſequebatur, exemplaria, corruptiones illas e græcis codicibus translatas credidit. Latina enim verſione, non græco N. T. textu vſum eſſe Tertullianum,

h) Vid. loco omnium S. V. *Griesbachium l. c. Sect. III.* §. 2. *ſs.*

num, vt ſtatuam, tum Semleri i) rationes, tum aliæ, quas ipſe mihi detexiſſe videor, impellunt. Textus enim græci in Africa raritatem non modo ipſe ſignificat, celebri loco *de praeſcr. adv. hær.* C. XXXVI. *k*). Sed accedit etiam rei interna probabilitas, cum ex loco ſaltem Augustini *l*), ſine dubio ad verſiones maxime in *Africana* eccleſia factas referendo *m*), ſatis conſtet, in iis regionibus non quidem tantum, quantus ex eo loco concludi poſſet, ſed aliquem certe verſionum latinarum numerum extitiſſe. Ipſe vero Tertullianus vt integritatem lectionis ab eccleſia ſeruatam vbique jactitat, ita plerumque de ſuo libro haud admodum audacter pronunciat, ſed, vbi de græca lectione dicendum erat, anceps haud raro atque incertus ipſe ſe titubatione ſua prodit *n*).

Sed ad lectionum ſingularum examen deſcendimus. Tertullianum præcipue audiemus; nam de reliquis res pæne confecta eſt.

 §. V.

i) Vid. *ejus append. ad Wetſtenii Proll. in N. T. Obſ.* 1. *p.* 585.

k) „Age jam, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſe adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ *authenticæ* eorum literæ recitantur, *ſonantes vocem* & repræſentantes faciem vniuscujusque." Quem locum dum ad *græcum* textum referimus non *excludimus* aliam interpretationem, quæ de *integritate* maxime lectionis loqui vult Tertullianum. (Vid. ill. *Ræſsleri Biblioth. d. K. väter. P. III. p.* 118. & S. V. *Griesbachii* librum ſæpe cit. *Sect. II.* §. 5.) De voce: authenticæ vid. *Pfaffii diſs. de genuinis N. T. lectionibus, ſyntagm. diſſertt. inſert. p.* 43. *coll. ejusd. not. exeg. in Euang. Matth. p.* 40.

l) *De doctr. Chriſtian. L. II. c.* 4. Vt enim primis fidei temporibus *in manus venit* codex græcus, (h. vero non eſt vniuerſum N. T. ſed liber quicunque, hanc illam ejus partem continens) auſus eſt inter pretari.

m) Cfr. cel. *Weberi Beitr. zur Geſch. des N. T. Canons. p.* 90.

n) Cfr. inprimis *de Monogam. c. XI.* vbi ad græcum textum provocat quidem, atque ex eo corrigi vult latinam verſionem, ſed ita, vt ſatis appareat, cum græcum textum ne inſpexiſſe quidem.

§. V.

Incipiamus a celebri loco *Gal. II*, 5., cujus accuratior contemplatio magnam nobis in tota hac cauſa lucem accendet. Ac lectionem quidem ejus ex eo codice, quem ante oculos habuit, ita *recitat* Tertullianus *o*). *Propter ſuperinductitios falſos fratres, qui ſubintrauerant ad ſpeculandam libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto, vt nos ſubigerent ſeruituti, nec ad horam ceſſimus ſubjectioni.* Atque hic quidem ſtatim videndum eſt, ne nos effugiat animaduerſio, Tertullianum ex eo codice, *quem ante oculos habuit*, & quem in toto hoc libro *ſemper* ſecutus eſt, recitare *eam* lectionem, quam falſam deprauatamque poſtea queritur. Niſi enim hunc locum ex eodem, quo alios ſolebat, codice recitabat, certe non opus erat, vt totum locum ita, *vt* depranatus eſſet, atque ad verbum adeo exprimeret, ſed *vera* lectione ex ſuo libro notata, vno verbo animaduertere poterat, in aliis codicibus aut in Marcionis libro *negationem* (ουδε) inſertam eſſe. Quam cum adulterinam eſſe vellet, cur non ad ſuum librum prouocat, quod ſi potuiſſet, facile ſuperſediſſet miſera opera, qua *interna* argumenta, rejiciendam e textu negationem probaturam, conquirit *p*). Scilicet ejus multum intererat, eliminari negationem, cum omnis adeo Marcionis hæreſis ab eo progrederetur, vt Judaismum plane a Chriſtianorum noua diſciplina, ſejunctum, ideoque etiam Paullum reliquis omnibus Apoſtolis, & Petro maxime, cujus ſimulationem & indignam rituum judaicorum obſeruationem graviter

o) *Adv. Marcion. L. V. c.* 3.

p) Etiam S. V. *Griesbachius*, qui Marcionis codices a Tertulliano viſos *haud* negat, de hoc ſaltem loco ita pronunciat, (*l. c. Sect. III. p.* 89.) „*Cum neque ad græcos neque ad latinos alios codices prouocet* (Tertullianus,) *ſed anxie interna conquirat argumenta, quibus particulam, nec, eliminandam eſſe vincat, probabile eſt, in ipſo Tertulliani codice aliisque africanis libris extiſſe hoc, nec.*

viter reprehenſam a Paullo dictatabat q), longe anteponendum eſſe pronunciaret. Quid vero, ſi ipſe Paullus tempori inſeruiiſſet? Quanto magis tum illa ſolemnis Tertulliano Petri defenſio valitura erat, ipſum adeo Paullum dixiſſe, „*factum ſe omnibus omnia*, Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, vt omnes lucrificaret"? r). Igitur jam hac ſola de cauſa videndum erat Tertulliano, vt particulam illam, quamvis in ipſius libro extaret, juris tamen quadam ſpecie eliminare poſſe videretur, quam cum præberet *Irenæi* locus ſtatim hæſitare deſiit. Liceat enim repetere S. V. Griesbachii s) obſeruationem, qui non hoc tantum loco, ſed alio etiam exemplo ſatis luculento comprobauit, Irenæi auctoritate ita captum fuiſſe Tertullianum, vt loca N. T., ab Irenæo vel leviter tantum facta, etiam inuitis ſuis ipſius codicibus ad illius lectionum refingeret, idque ab eo etiam h. l. factum eſſe. Irenæi enim locum L. III. c. 13. probe certe nouerat Tertullianus, qui eadem, quæ ibi Irenæus, centies repetit. Quanam autem cupiditate credimus eum Irenæi auctoritatem, arripuiſſe, leuiſſimam quidem, ſed quæ lectioni, quam adeo absque auctoritate receptam vellet, aliquid ſaltem ponderis adderet.

Igitur hujus loci exemplo duo, vt opinor, certa ſunt, primo hoc, lectiones in plerisque adeo codicibus diuulgatas, vbi fauere vel aliquantulum viderentur hæreticæ opinioni, temerariæ deprauationi tribuiſſe Tertullianum, (plerosque enim ab antiquiſſimo inde tempore codices receptam lectionem ſeruaſſe ex eo clarum eſt, quod alterius ne veſtigium quidem in vllo alio libro, Claromontanum ſi excipias, & Italam

q) *Tertull. de præſcript. adv. hær. L. IV. c. 3.*

r) *De præſcr. &c. l. c.* Ad-de alium locum, valde memorabilem, *adv. Marc. L. I. c. 20.*

s) *Libro ſæpe cit.* §. 7.

Italam antiquam, ſupereſt) *t*) deinde & illud, Tertullianum nonniſi *ſuum* codicem ſecutum, hæreticos adulteratæ lectionis accuſaſſe, codicibus eorum etſi non inſpectis; hoc enim certum fit ex h. l., cujus lectionem e *ſuo* libro recitat, quem ipſe nusquam alibi Marcionis eſſe dicit, quanquam Marcioniticis adulterationibus plenum opinatus eſt. Qualis autem ratio ejus codicis fuerit, & quibusnam exemplis, illud vt crederet, motus fuerit, ex hujus loci lectione ſatis apparet.

§. VI.

Breuiores erimus de aliis leuioris momenti locis, quæ corrupta eſſe ab hæreticis aut e *gloſſemate ſuo* codici allito *v*) aut e *lituris* in eo obſervatis concluſiſſe videtur rerum criticarum imperitiſſimus Tertullianus. Ad illud genus pertinere videtur locus *1 Cor. XV*, *45*., cui primum quidem vt erat in ipſius codice recitato correctionem demum hæretici ſubjungit. *x*) Si enim in ipſum textum illatum gloſſema fuiſſet, locum, vt alibi ſolet, corruptum recitaſſet. Quæ vero de locis *eraſis* ab hæretico, ſ., vt alibi loquitur, *ſpongia* Marcioni-

t) Lectio, quæ negationem eliminat vnde primum orta, & quomodo in alios codices, *Ambroſiaſiaſtri* v. gr., *Claromontanum*, alios (cfr. *Semleri hiſt. eccleſ. ſel. capp. P. I. p.* 17. & *Prolegg. in eo ad Galat., Paraphr. praem.*) propagata fuerit ita facile explicatu eſt, (vid. S. V. *Storrii Diſs. ad quædam epp. Paulli min. loca p.* 4. & ill. *Eichhornii allg. Bibl. der bibl. Litterat. P. II. p.* 327.), vt profecto haud videam, quomodo ſatis certo ex antiquiſſimo extu græco ſeruatam credere poſſis.

v) Scatuiſſe Tertulliani librum omnis generis gloſſematis, quorum nonnulla adeo in græcum textum illata ſunt poſtea, *Semlerus* oſtendit. (Vid. *hermeneut. Vorber. P. II. p.* 77.) Exempla qui voluerit videat locum Gal. III, 15. ut a Tertulliano recitatur *adv. Marc. L. V. c.* 4. & alium diſſidiis Arianorum clarum in libro de carne Chriſti c. 18. coll. *Germonio l. c. L. I. P. I. c.* 13.

x) *Aduers. Marcion. Lib. V. c.* 10.

cionitica extinctis queritur, nonniſi a *liturarum*, codici, quem ſecutus eſt, inductarum, animaduerſione profecta fuiſſe, ex eo conjicio, quod locis demum *integris* ex eo ipſo codice, quem alibi ſequitur, recitatis animaduerſionem addit, locum a Marcione eraſum, ſ. extinctum fuiſſe. Igitur ab eo codice, quo ſemper tanquam corruptionum Marcioniticarum exemplo vtitur, ne aberant quidem, ſed inducta ex parte atque litterarum hinc illinc fugientium lacunis diſtincta. Miſeram vero criticorum ſortem, quibus lituræ vel leuiſſimis caſibus inductæ negotium faceſſunt! Hanc enim vere credo rationem fuiſſe locorum *2 Theſſ. I, 8. y), Gal. III, 7. z) 16 a) & Eph. II, 20. 15. b)* quo in loco contra hæreticas de carne Chriſti opiniones grauiter ab *Irenæo c)* commendato, ne minimam quidem lituram oculos ejus effugiſſe, mirum haud eſt. Quod de loco *Gal. IV, 22.* refert Tertullianus, *ex parte* conuerſum eſſe ab hæretico, *re* tamen ipſa ſeruata *d)*, ſatis prodit, quamnam in criminationibus ſuis rationem ſecutus fuerit. Scilicet id corruptoris eſt, vt *verba* mutet, *rem* non tangat. Satis patet, quales illæ corruptiones fuerint, lituræ nempe, verborum diuerſus ordo, talia, qualia in codicibus omnibus deprehenduntur.

§. VII.

y) Tertull. l. c. c. 16.

z) L. c. cap. 3. Hieronymus (Comm. Tom. VII. opp. ed. Vallarſ. p. 423.) rem vt fieri ſolet exauxit. Ceterum credibile eſt, Tertullianum h. l. diligentius, atque alias ſoleret, obſeruaſſe, cum attentionem ejus excitaſſet locus *Irenaei adv. hær. L. IV. c. 8.* §. 1.

a) Aduerſ. Marc. L. V. c. 3.

b) L. c. c. 16.

c) Aduers. hær. L. V. c. 14. §. 3. 4.

d) „*Vt furibus ſolet aliquid excidere de praeda in indicium*, ita credo & Marcionem nouiſſimam Abrahæ mentionem dereliquiſſe, *nullam magis auferendam, etſi ex parte conuertit*" *adv. Marc. L. V. c. 3.*

§. VII.

Tria tantum exempla ſuperſunt, in quibus explicandis non eandem, quam hujusque rationem ſequi nos poſſe plerisque videbimur, ſcilicet quæ corruptionem *conſulto & de induſtria* factam, eamque talem, qualem a Marcione pro philoſophiæ, quam profeſſus eſt, ratione facile expectare poſſis, prodere videntur. Primum eorum offert locus *Eph. III*, 9. Audiamus ipſum Tertullianum *e*). „De manibus, inquit, hæretici præcidentis non miror, ſi *ſyllabas* ſubtrahit, quum *paginas totas plerumque ſubducit.* (Vnde vero hoc nouerat Tertullianus?) *Datam*, inquit, *ſibi* Apoſtolus *gratiam nouiſſime omnium illuminandi omnes, quæ diſpenſatio ſacramenti, occulti ab æuis in Deo, qui omnia condidit.* Rapuit hæreticus *IN* præpoſitionem, & ita legi fecit: „*occulti ab aeuis Deo, qui omnia condidit.*" Atque in hoc loco fatendum quidem eſt, valde fauere illam omiſſionem Marcionis ſyſtemati, ſaltem vt ab ipſo Tertulliano deſcriptum eſt *f*). Verum hæc vtut ſe habeant, ipſum Tertulliani locum ſi diligentius examinas, quamnam præfandi neceſſitatem habuit Tertullianus, quamnam de totis paginis a Marcione extinctis conquerendi cauſam, cum ſane nullum ejusmodi licentiæ certum atque indubium exemplum vnquam protulerit, ſed *ſumſiſſe* tantum videatur, quicquid de ea re in anteceſſum pronunciaret? Igitur cur lectorem *praeuenit*, niſi vt fucum faciat? Neque id prætermittendum eſt, Tertullianum ex eo ipſo libro, e quo alias ſemper lectiones a Marcione corruptas protraxit, locum *hunc* recitare *integrum* prorſus atque incorruptum, & recitatæ demum *verae* lectioni *ſubjungere* deprauationem hæretici. Igitur *raptam* eſſe ab hæretico præpoſitionem illam, *aliunde* ſaltem, quam ex codicis, quem ante oculos habe-

e) *Aduers. Marcion. Lib. V.* c. 17. 18.

f) V. *Beauſobrium l. c. Vol. II.* p. 110.

habebat, lectione compertum habuit. Vnde vero? Lituramne denuo accuſabimus? Vtrum fama id accepiſſe, an conjectura aſſecutum eſſe Tertullianum ſtatuemus? Fateor, hac vna obſeruatione concidere totam accuſationis hujus fidem mihi quidem videri. Accedit, quod alibi etiam locorum ſimilium noſtro, (ex gr. 1. Cor. II, 8. 1. Cor. I, 21.) *interpretationem* hæreticam perſtringit Tertullianus *g*), neque igitur alienum ab eo fuit, de ejusmodi loco, qui contra Marcionem euidentiſſimus eſſet, in anteceſſum metuere. Quantam autem licentiam rerum hæreticarum ſcriptores ſibi ſumſerint, ſuas opiniones, concluſiones atque adeo meras conjecturas hiſtoriæ & ſyſtemati hæreticorum inferendo, dudum a BEAUSOBRIO obſeruatum eſt. In iſta autem conjectura ita ſane ſibi placuiſſet, ita ſui ſimile fuiſſet Tertulliani ingenium, vt neſciam, annon ex hoc ſolo magnum ſuſpicionibus noſtris momentum accedere debeat. Sed nolim iniquior videri, neque anteaquam reliqua exempla luſtrauerimus, in vllam partem decernere. Id ſaltem certum habeamus atque exploratum, *non ex ipſo illo libro, quem Marcioniticum ipſe ſaltem opinatus eſt, corruptionem illam hauſiſſe Tertullianum h*): vnde demum hauſerit, ſcire multo minus intereſt.

§. VIII.

Ad aliud exemplum tranſimus, quod locus *Col. I, 15. 16. 17.* exhibet. Audiamus iterum Tertullianum *i*). „*Si non eſt*

g) Vid. ex. c. *aduers. Marc. L. V. c. 6.*

h) Igitur neque in eo acquieſcere poſſumus, quod S. V. *Læfflerus* obſeruauit, *quam facile,* (in libro ſcilicet, quem ante oculos habuit Tertullianus?), *particula εν praecedente verbo αιωνων ob ſimilitudinem ſyllabae vltimae excidere potuerit!*" (*l. c. p* 164.) Enimuero in eo libro, quem ſecutus eſt, ne exciderat quidem.

i) *Aduers. Marc. L. V. c.* 19.

eſt Chriſtus primogenitus conditionis — ſi non in illo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terris, ... ſi non cuncta per illum & in illum ſunt condita, (haec enim Marcioni diſplicere oportebat): non vtique tam nude poſuiſſet Apoſtolus: *& ipſe eſt ante omnes.* Quomodo enim *ante omnes*, ſi non ante omnia *k*), quomodo ante omnia, ſi non *primogenitus conditionis* —? Vnde ante omnes probabitur fuiſſe, qui poſt omnia apparuit? Quis ſcit priorem fuiſſe, quem eſſe neſciit? Quomodo autem boni duxit, *omnem plenitudinem in ſemetipſo habitare?* Primo enim quæ eſt iſta plenitudo, niſi ex illis, *quae Marcion detraxit „conditis in Chriſto in cælis & in terris,"* niſi ex illis *„inuiſibilibus & viſibilibus, niſi ex thronis & dominationibus & principatibus & poteſtatibus"*, aut ſi hæc Pſeudapoſtoli noſtri & Judaici euangelizatores de ſuo intulerint, & ad plenitudinem, Dei ſui Marcion, qui nihil condidit, (omnia retulerit)? *l*)". Jam fatendum quidem ſtatim eſt, vera ſi fuerit accuſatio, neque de librarii lapſu cogitari poſſe, neque omnino de vlla alia, niſi ſtudioſa verborum illorum omiſſione: quod quidem eo certius eſſet, quo magis loci integrum argumentum ſyſtemati Marcionis, vt a Tertulliano traditur, contrarium eſt *m*). Verum enimvero ſtatim etiam quæſtio exiſtit, (cui ſi ſatisfieri non poteſt tota accuſatio labefactatur), *vnde* illa omiſſio Tertulliano innotuerit? In eo certe codice, quem ſemper ſequitur, & ex quo omnes Marcionis corruptiones allegauit, integer locus extabat *n*). Neque attentionem noſtram effugere poteſt Tertulliani neſcio

k) Si *graeco* textu non *latina verſione* vtebatur Tertullianus, facile carere poterat omni hac argumentatione. Græca enim vox (πάντων) *neutrius* generis ſignificationem non excludit.

l) Hoc ſupplemus. Interpunctionem, vt oportebat, mutauimus.

m) Cfr. loco omnium *Walchii Hiſtorie der Ketzereien P. I. p.* 505. *ſs.* §. *VI.*

n) Igitur neque aſſentiri poſſum

neſcio quæ titubatio. Neque enim ſtatim audet pronunciare, verba illa, (πρωτοτοκος - εκτιςαι), a Marcione deleta fuiſſe, ſed per interjectionem tantum addit: *haec enim Marcioni diſplicere oportebat.* Atque hic videre mihi videor vniuerſam, quam in hac cauſa ſecutus eſt rationem Tertullianus, exemplo ſatis luculento proditam. Primo enim cogitandum eſt, Tertullianum in libris, quos aduerſus Marcionem ſcripſit, non id egiſſe, vt loca ab eo corrupta critica diligentia examinaret, ſed vt ejus philoſophiam e ſ. literis refutaret. Jam vero, querelis Irenæi de libris ſacris a Marcione corruptis territus, vbi ad locum illi manifeſte contrarium deueniret, oportebat certe metuere, ne totum locum extinxerit hæretica licentia. In ea autem incertitudine, cum altera ex parte metueret obſtrepentes hæreticorum voces, a Pſeudapoſtolis interpolatam ſcripturam clamantes, neque tamen ex altera parte locum prorſus dimittere poſſet, profecto nihil reliquum videbat, niſi vt ipſe etiam in hæreticorum licentiam inueheretur, *conquireret autem in eo ipſo loco lectionis integrae, aduerſus eos veſtigia*, quæ cæcitatem (vt loquitur) hæreticorum effugiſſe ſuſpicari poterat vindicandæ. Id vero noſtro maxime loco Tertulliano accidiſſe, totus profecto orationis tenor & contextus loquitur. Namque *Irenaeus*, quem ipſe alibi „omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem appellat, quem in omni opere fidei optet aſſequi" o) Marcionem diſertis verbis affirmat a Paulli epiſtolis abſtuliſſe, „*quaecunque manifeſte dicta eſſent ab Apoſtolo de eo Deo, qui mundum fecerit, quod nem*-

ſum b. *Corrodio*, qui omnes Tertulliani & rel. criminationes exinde deriuauit, quod *mancos* codices habuerint Marcionitæ. (Vid. *ejus Verſuch einer Beleuchtung des Bibelkanons P. II.*) Namque, Marcioniticos codices haud vidit ſine dubio Tertullianus; ab eo autem, quo tanquam a Marcionitis deprauato vtitur, ne aberant quidem illa loca.

o) *Adv. Valent. c. V.*

pe idem ſit pater Jeſu Chriſti" p). Quantam autem credimus incertitudinem fuiſſe, in quam eum Irenæi aſſeueratio conjecit, qui profecto his ipſis verbis hunc maxime locum ſignificaſſe putandus erat? Ita enim contra Marcionem manifeſtus videri oportebat *q*), vt fere nullus dubio locus re linqueretur. Eo minus autem Tertulliani ſuſpicionem effugere poterat Marcio, quo melius cum ejus decretis conſentire locus videretur, deletis iis verbis, quæ deleta ſuſpicabatur. Nam quod Jeſus prædicatur *εικων του Θεου του αορατου* fuiſſe, id Marcio etiam volebat; igitur hæc profecto verba deleta ab hæretico ſuſpicari haudquaquam poterat Tertullianus, quin adeo opus eſſe ratus eſt, vt ea contra Marcionis interpretamenta præmuniret *r*). Jam vero vbi ad verba *πρωτοτοκος της κτισεως* & quæ ſeq. deuenit, ſuſpicionibus ſuis victus non *affirmat*, ſed *ponit* tantum, Marcionem hæc verba deleuiſſe. *Si, non eſt*, inquit, *Chriſtus primogenitus conditionis*, h. vero eſt, *ſi forte Marcio* deleuerit illa verba: *πρωτοτοκος π. κτ.* rel. Cur vero *ponit*, quod affirmare poterat, ſi rei ſuæ certus erat? Cur non, vt alibi ſolet, ſine verborum ambagibus eliminatos e textu verſus clamat? Vnde illi ſubito venit lenitas iſta verborum, *oportuiſſe*, vt hæc Marcioni *diſplicerent*? Cur non ſtatim aſſeuerat, quod poſtea audentior factus, (obiter tamen), dicit, detracta ea verba a Marcione fuiſſe? Hæc omnia ſi mente colligas, Irenæi aucto-

p) *Adv. haeres. L. I. c.* 27. § 2.

q) Etiam *Irenaeus* ſæpius eo vtitur contra hæreticos & nominatim Marcionem e. gr. *Lib. I. c.* 22. §. 1. *c.* 27. §. 2. *L. III. c.* 8. §. *3*.

r) „Sed nos enim inuiſibilem dicimus patrem Chriſti, ſcientes filium ſemper retro viſum, ſi quibus viſus eſt in Dei nomine, vt imaginem ipſius: *ne quam & hinc differentiam ſcindant Dei viſibilis & inuiſibilis"* l. c. *aduers Marc.* Apparet hunc locum jam antea, quam ad illa verba, de quibus quæſtio eſt, acceſſerit, ſuſpicioſam Tertulliani in ſe attentionem conuertiſſe.

auctoritatem, loci euidentiam, Tertulliani incertitudinem, vix equidem video, quomodo dubitare poſſis, *totam accuſationem nonniſi a conjectura atque ſuſpicione Tertulliani profectam fuiſſe.* Neque dum hoc ſtatuis, ſtatim etiam ſumis, *mala fide* egiſſe Tertullianum, quin potius totam illam, quam in hac cauſa ſecutus eſt, rationem ab *anxietate* quadam Tertulliani, quam parum adeo abeſt, quin *religionem* dicere poſſis, profectam fuiſſe, tota diſputationis forma modusque loquitur. Quomodo enim, vt vel vnum exemplum afferam, factum eſt, vt, quod ſæpius in ejus libris obſeruaſſe mihi videor, loca contra Marcionem èuidentiſſima dimitteret, in locis autem aliis, quæ nonniſi multo labore atque argumentis improba opera conflatis ſtringere contra hæreticum poterat, quam poſſet diutiſſime hæreret. Quod niſi ab ejus anxietate deriuaueris, quæ locum minoris quidem euidentiæ ſed certioris fidei maluit præferre loco majoris euidentiæ, ſed incertæ apud hæreticos auctoritatis, haud video, vnde demum explicare poſſis?

§. IX.

Nemo certe melius Tertulliano anguſtias, in quas adductum ſe ab hæreticis vidit, deſcripſerit." Nihil, inquit *s*) proficiet congreſſio ſcripturarum, (cum hæreticis inita), *niſi plane vt aut ſtomachi quis ineat euerſionem aut cerebri.* Illa hæreſis non recipit quasdam ſcripturas, & ſi quas recipit interjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit: et ſi recipit, non recipit integras, & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. — Quid promouebis,

s) *De praeſr. adv. haer. c.* 17.

bis, exercitatiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur, & tu quidem nihil perdas, *niſi vocem in contentione*, *niſi bilem de blasphematione.*" Hæc qui legerit, ſatis profecto intelliget, cur in locis maxime iis, quibus optime contra hæreticos vti potuiſſet, anceps hæſerit & quo ſe vertat neſcius Tertullianus. Neque etiam mirabitur *impatientiam* illam, qua tota ſæpe capita tranſilit, opinionis ſcilicet, ab Irenæo acceptæ, terriculamento agitatus. Aliter enim haud ſcio, quomodo explicari poſſit, quod de *epiſtola* ad *Romanos* queritur, ingentes in ea foueas feciſſe Marcionem, quæ voluerit auferendo *t*). Ipſe enim h. l. diſertis verbis fateri videtur, ſe, quicquid de iſtis foueis compertum habeat, ex *ſui in*-*inſtrumenti integritate* h. e. ex locorum in eo ſuperſtitum euidentia *concludere v*). Qui vero attentius eum legerit facile animaduertet, eum a *C. I. v. 18.* ſubito tranſire ad *C. II. v 12.*, ideoque hoc maxime loco foueas a Marcione interjectas metuiſſe. Inter hos autem verſus, quos tranſiliit Tertullianus, nullus eſt, qui contra Marcionem euidentior fuiſſet *primi* Capitis verſu *decimo nono* & *viceſimo*. Quomodo autem accidit, vt vbi ad hos maxime verſus deueniret, ſubito inciperet, de foueis a Marcione factis conqueri. Profecto nulla alia de cauſa, quam quia hunc locum non auderet opponere Marcioni, veritus, ne extinctum ab eo au-

t) *Aduers. Marc. L. V. c.* 13.

v) „Quantas autem foueas in illa vel maxime epiſtola Marc. fecerit — *de noſtri inſtrumenti integritate parebit*" l. c. Igitur ipſe *ſuum* codicem non *vbique*, ſed tantummodo *hinc illinc* deprauatum a Marcionitis credidit. — Quanquam hæc verba etiam ita interpretari poſſis: „quam multa extinxerit M. ei apparebit, qui loca a me contra Marcionem allata, cum iis comparaverit, quæ ex integro inſtrumento contra eum proferre *potuiſſem*, niſi deleta ab eo fuiſſent." Hac vero interpretatione confirmaretur id, quod antec. §. diximus.

audiret. Neque tamen ideo audet *hunc* locum eliminatum a Marcione pronunciare, ſed ne cui forte mirum videretur, quod locum adeo contra hæreticos manifeſtum dimiſerit, lectorem de Marcionis licentia, tanquam de re ſatis cognita, *in vniuerſum* admonet. Deinde ipſe addit, nolle ſe locis contra Marcionem euidentiſſimis pugnare, ſed ſufficere ipſi, *quae proinde eradenda non viderit*, (h. vero eſt, loca minus euidentia, de quibus nihil metuendum erat), quaſi negligentias ac cœcitates hæretici arripere. Ita vero nobis ipſe vniuerſam, quam in hac cauſa rationem ſecutus eſt, aperit Tertullianus. Primo enim h. l. parum abeſt, quin ipſe fateatur, non *ſcire* ſe, ſed ſuſpicari tantum, locum hunc a Marcione extinctum eſſe; quid enim opus erat, vt Marcionis temeritatem *in vniuerſum* criminaretur, ſi locum hunc ab eo deletum eſſe *ſciret*, non ex ea, quam ſumebat, audacia Marcionis *concluderet*. Deinde *vitare* ſe dicit loca contra Marc. euidentiora, reliquis, de quibus minor ipſi metuendi cauſa ſit, contentus. Neque jam diutius morandum eſt in alio loco Tertulliani *x*), vbi ſubito a capitis octaui verſu vndecimo ad decimi initium tranſiens, *Salio* inquit, *& hic ampliſſimum abruptum interciſae ſcripturae.* Scilicet caput nonum vaticiniis e V. T. allegatis plenum eſt: plenum etiam laudibus Abrahami & inſtitutorum Moſaicorum, (v. 4. 5. 7 — 13. 15 — 33.): aliunde autem nouerat Tertullianus, abſtuliſſe Marcionem a Paulli epiſtolis, „*quaecunque ex propheticis libris, aduentum Domini praenunciantibus, docuerit Apoſtolus*" *y*), neque etiam Abrahamo *z*) & Moſaicæ legi fauiſſe. Scilicet *hanc* maxime metuen-

x) *l. c. C. XIV.*

y) Vid. *Irenaei* l. ſupra not. *p*) cit.

z) *Irenaeus adv. haer. L. IV. c.* 8. §. 1. „Vanus autem & Marcion & qui ab eo, expellentes ab *haere-*

metuendi cauſam habuiſſe Tertullianum, ex eo apparet, quod ipſe poſtea „*ſcripturarum*" (h. e. vaticiniorum), & „*ſacramentorum* (h. e. *διαθηκων και επαγγελιων*) *mentionem*" eraſam a Marcione dicit.

§. X.

Exemplorum igitur hucusque prolatorum ſi rationem ineas, nullum profecto ita comparatum eſt, vt ex libro vere Marcionitico decerptum eſſe ſtatuendum ſit. Namque aut a mera ſuſpicione Tertulliani profecta ſunt, aut decerpta ex codice, quem Marcioniticum haud fuiſſe certiſſimis indiciis clarum eſt. Primo enim in *latinæ verſionis* codicem penetraſſe Marcioniticas adulterationes, neſcio, quis tandem perſuadere ſibi poſſit. Ab Apoſtolico autem Marcionis abfuiſſent certe gloſſemata illa, ſenſu omni deſtituta, quæ ex ſuo codice Tertullianus allegat. Is vero ſi Marcioniticus fuiſſet, certe caruisſet locis complurimis, quæ, ſi vera accuſatio eſt, certo mutauiſſe putandus Marcio eſt. . . . „Verum hoc ipſum, inquies, præuidit Tertullianus, qui multa ſibi contraria eradere noluiſſe Marcionem fatetur *a*), eo nempe conſilio, *vt ex*

haereditate (*Rom. IX*, 5. 7) Abraham, cui ſpiritus per multos, jam autem & per Paullum teſtimonium reddidit:" & *deputatum eſt ei ad juſtitiam*. „(Rom. IV, 3.)" Satis jam etiam apparet cur epiſtolæ ad Rom. C. IV. prorſus non tetigerit Tertullianus *L. V. c.* 13. non ea profecto de cauſa, quod *abeſſet* ab eo codice, quem ſecutus eſt, (hoc enim absque dubio haud tacuiſſet), ſed quod *metueret* foueas a Marcione interjectas; quod quidem ſi paullo apertius ſignificaſſet, ſane totum illud caput a Marcione exſtinctum non minus credidiſſemus, ac de aliis creditum eſt a plerisque, *Millio* v. gr., qui duorum, quos diximus, locorum vnica auctoritate, plus quam dimidiam epiſtolæ partem expunctam a Marcione vt crederet, adduci ſe paſſus eſt. (vid. *ejus Prolegg. in N. T. n.* 311.)

a) *Aduers. Marcion. L. IV. c.* 43.

ex his, quae eradere potuit, nec eraſit, „illa, quae eraſit, aut negetur eraſiſſe, aut merito eraſiſſe dicatur." Sed fateor, intimam illam Marcionis familiaritatem, quam neque tectiſſimæ cogitationes, nec clandeſtina adeo conſilia latuere, ſuſpiciones meas adeo confirmare. Namque etiam alibi facile obſeruandum eſt ſtudium quoddam, quo ſibi ipſi quaſi prouidet Tertullianus, ne loca ſcilicet, quibus tanquam a Marcione ſeruatis vtitur, ejus defendendi occaſionem præbeant *b*). Igitur videtur Tertullianus, cum ſe ad refutandam Marcionis hæreſin accingeret, *elegiſſe* talem latinæ verſionis codicem, quem etiam antea, quam diligentius eum examinaſſet, ſuſpectum ipſi reddiderant lectionis quædam in eo obſeruatæ diſcrepantiæ, frequentiores lituræ, gloſſemata margini allita, & quæ ejusmodi ſunt. Inde vero factum eſt, vt opinionis ſuæ ſpectro territus, quicquid in eo codice ſuſpectum ipſi videretur, (homini autem, criticarum rerum prorſus imperito, quoties id accidat neceſſe eſt?) ſtatim ab hæretico corruptum vociferaretur; vbi autem ad locum deferretur, qui contra Marcionem euidentiſſimus eſſet, quamquam in eo libro, quem ipſe ſequebatur, extaret, metueret tamen, ne ab aliis abeſſet. Satis enim vbique prodit opinionem ſuam, late dimanauiſſe hæreticum virus, neque ad eccleſiæ tantum Marcioniticæ, ſed ad plerosque etiam alios libros pertigiſſe. Hæc autem opinio facile condonanda eſt anxietati, ſcriptorum antiquiorum auctoritate ipſi injectæ, & criticæ, qua omnes ante Origenem ſcriptores laborare videmus, ignorantiæ. Simul enim inualuerat opinio de libris ſ. a Marcione corruptis, (quod quomodo factum ſit, poſtea explicabimus), facile profecto homini, qui ne græco quidem codice vteretur, accidere poterat, quod meticuloſis hominibus, iisque inſuper indoctis,

b) Vid. ex gr. locum ſupra jam allegatum §. VI. not. *d*).

doctis, quotidie accidere videmus, vt, quicquid tandem noui atque inuiſi cerneret, ſtatim inde neſcio quæ monſtra & miracula auguraretur. *Metum* autem Tertulliani ſatis produnt lectiones ab eo notatæ, quarum permultæ ita comparatæ ſint, vt ne ſagaciſſimo quidem hæreticarum inſidiarum exploratori ſubolere ejusmodi quid in iis poſſit, ſed quas in alio quouis codice æque facile ac in Marcionitico aut quocunque tandem alio admiſeris, aliæ autem, quarum periculo territus grauiter in Marcionem inuehitur, in libris probatiſſimis etiam nunc inueniuntur. Sed ſatis de Tertulliano: ad alios tranſimus.

§. XI.

Ad *Epiphanium* primo, paucis expediendum. Eum namque Marcioniticos codices haud vidiſſe ſatis jam certum eſt iis, quæ ſupra a nobis obſeruata ſunt. (§. III.) Singularum autem lectionum, quas Marcioniticis adulterationibus tribuit, pæne nulla eſt, quæ non in quouis alio codice exiſtere potuiſſet, vnde profecto haud temere concluditur, omnes illas deprauationes diuerſorum codicum lectiones eſſe, quas hinc illinc in ea, quam vbique prodit, litterarum ſuarum paupertate decerpſerat. Verum in hac re otium nobis fecere duumuiri Rich. Simonius & Semlerus *c*), & qui poſt eos omnia tandem confecere, Loefflerus *d*) & Corrodius *e*).

§. XII.

Dialogi aduerſus Marcionitas, ſ. vt ab aliis inſcribitur, *de recta in Deum fide* auctorem Origenem eſſe nonniſi Basi-

c) *Hiſt. crit. N. T. vers. vern. P. I. p.* 267. *ſs.*

d) In *diſp.* ſupra laud.

e) *Verſuch einer Beleuchtung des Bibelcanons P. II.*

Basilii & Gregorii Theol. *f*) auctoritate creditum eſt, ad quam accedit incerta *praefationis*, ei Dialogo præfixæ, ne ab ipſo quidem ejus auctore profectæ, & ab vno ſaltem codice abſentis *g*) fides. Contra Eusebius *h*) non majore, vt videtur, certitudine Maximo cuidam eundem adſcribit, Photius *i*) Methodio. Certius his omnibus hoc eſſe videtur, *quarto demum ſec. ſcriptum Dialogum*, primo quidem *latine*, poſtea in græcum ſermonem translatum fuiſſe *k*). Satis vero apparet, quicquid de Marcionitarum hæreſi compertum habuerit auctor ex antiquioribus decerptum eſſe *l*). Neque igitur pro ſingulari corruptionum Marcioniticarum teſte numerari poteſt. Vnicum, quod ei proprium eſt, corruptionis exemplum affert e loco 1 *Cor. XV*, 38. *m*). Sed lectionis illam diſcrepantiam aut meram fictionem, colloquii gratia factam, aut mendam, in nonnullis ejus temporis codicibus obſeruatam, putem. Corruptionem enim ſtu-

 dio

f) *Philocal.* C. XXIV. Verum & hic locus in dubium vocatus eſt a *Ruaeo*, Opp. Orig. ed.

g) Cfr. *Orig. Opp.* ed. *Paris. Vol. I. p.* 800.

h) *Hiſt. eccl. V.* 27. *Praep. ev. VII.* 24.

i) *Biblioth. cod.* 236.

k) Pluribus id argumentis comprobatum iuit *Wetſtenius* (*Proll. p.* 212). Accedit *vocum* latinarum vſus, qualem nonniſi in verſione, e latino textu facta, deprehenderis, ex. gr. p. 806. φαλσα εςι τα ευαγγελια, quæ vox ſæpe recurrit.

l) Pauca exempla ſubjungo. Quod de loco *Matth. V*, 17, annotauit, e *Tertulliani L. IV. c.* 7. 9. 12. & innumeris aliis hauſiſſe poterat. Loci 2 *Cor. IV*, 4. interpretationem orthodoxam ab *Irenaeo* (III. 7.) inuentam, a *Tertulliano* (IV. 11.) repetitam cum aliis, a *Rud. Wetſtenio* ad h. l. annotatis, recoxit. Quid e loco 1 *Cor. XV*, 5. concluſerint Marcionitæ (p. 860) poterat e *Tertullian.* (de *reſurrectione carnis c.* 48.) ſcire.

m) *Opp. Orig. l. c. p.* 865. ita Marcionita: εν τῳ ἡμετερῳ Αποςολικῳ — ου λεγει· ὁ θεος διδωσιν αυτω σωμα - αλλ' ὁ θεος διδωσιν αυτῳ πνευμα.

dio factam credere lectionem, quæ ſenſu omni caret, neſcio, quis velit?

§. XIII.

Denique, vt ad eos deueniamus, qui *paſſim* de Marcioniticis corruptionibus conqueſti ſunt, Origenes epiſtolæ ad Romanos duo poſtrema capita ablata a Marcione queritur *n*). Sed quomodo a pluribus codicibus abeſſe potuerint, facillimum explicatu eſt, quamcunque demum criticorum recentiorum, Semleri *o*), Koppii *p*), Griesbachii *q*) opinionem amplectaris.

§. XIV.

Hieronymum denique, quicquid de corruptionibus Marcioniticis referat, ab antiquioribus ſcriptoribus accepiſſe, ex perpetua ejus comparatione, cum Tertulliano maxime, ſupra jam inſtituta, certum eſt. Reliquos prætereo.

§. XV.

Ita vero, ſi codices Marcioniticos nullum antiquiorum ſcriptorum vidiſſe certum eſt, noua quæſtio exoritur, vnde demum illæ omnes contra Marcionem ſuſpiciones exortæ fuerint? Mente enim, inquies, moti fuiſſent Irenæus, Tertullianus & quicunqne contra hæreſin Marcioniticam ſcripſere, ſi nulla ratione cogente, arma, quibus aduerſus eam pugnare oportebat, ſibimet ipſi præripuiſſent. De

n) *Comm. in ep. ad Rom. L. X.* §. 40.

o) *Diſs. de duplici append. ep. ad Rom.* quæ ad calcem *Paraphraſis* repetita eſt coll. *ejusdem hermen. Vorber. P. IV. p.* 52.

p) *N. T. &c. P. IV. Exc. II.*

q) *Curae &c. Sect. II.* §. 3.

De Irenæo, Tertulliano, reliquis, ſi quæris, facilis reſponſio videtur. Neque enim hi primi contra Marcionem ſcripſere. Præter enim Juſtinum M., ab ipſo Irenæo contra Marcionem allegato, complures alios EUSEBIUS nominat, Irenæi & reliquorum in hoc opere anteceſſores, Theophilum Antioch., Philippum Gortyn., Modeſtum *r*) & Rhodonem præcipue *s*), cujus vnum ſaltem argumentum, (a Marcionitarum inter ſe diſſenſu petitum), repetit Tertullianus *t*). Sed redit quæſtio. Nam quodſi ab antiquiſſimis ſcriptoribus profectam vis accuſationem illam, quomodo *illis* primum ſuſpiciones iſtæ ſubnatæ ſunt? Neque id, quod ſumis adeo certum eſt. Namque earum accuſationum ante Irenæum ne veſtigium quidem extat, apud JUSTINUM v. gr., qui de Marcione aliquoties loquitur *v*): neque etiam EUSEBIUS ſcriptorum illorum quemquam Marcioniticos codices accuſaſſe, vel vno verbo memorat. Tota igitur accuſatio *Irenaeo*, ſ. quicunque demum Epiſcopus ille Lugdunenſis fuerit, originem ſuam debere videtur.

§. XVI.

Neque adeo difficile dictu eſt, quomodo communis ille corruptionum hæreticarum metus obortus fuerit. Primo enim hominibus rerum criticarum prorſus imperitis ipſæ quas in diuerſis codicibus obſeruabant lectionis diſcrepantiæ, codicum hinc illinc lacerorum lacunæ, atque ipſæ etiam librariorum mendæ metum injicere poterant. Quanta vero librariorum maxime in deſcribendis libris ſ. temeritas fuerit, ex loco HIERONYMI judicari poteſt, qui, *ſcribunt*, inquit, *non quod inueniunt, ſed quod intelligunt, & dum alienos errores*

r) *Hiſt. eccleſ. IV*. 25. 26.

s) *Ibid. V*. 13.

t) *De praeſcr. aduers. haer. c*. 42., *alibi*.

v) *Apolog. pro Chr. I*. §. 35. 75.

ses emendare nituntur, *oſtendunt ſuos x*) Facile autem ſciolorum maxime atque eruditulorum hominum correctiones deprauationum conſulto & de induſtria factarum ſuſpicionem præbebant. Facile etiam fieri potuit, vt diſputationibus cum hæreticis inſtitutis diſcerent orthodoxi lectionis hinc illinc aliquam varietatem, cujus nouitate perculſi ſtatim ſacrilegam illorum temeritatem conclamabant. Neque etiam, ſimul ortus erat rumor ille corruptorum codicum, temperaſſe ſibi credo hæreticos, quo minus id crimen committerent, cujus injuſte accuſati fuerant. Neque id feciſſent ſine reliquorum exemplo, qui, ſimulac metuere cœpiſſent hæreticorum adulterationes, lectionum etiam omnium, quæ ſuſpectæ ipſis viderentur, proprio periculo mutandarum veniam nactos ſe eſſe arbitrabantur. Acceſſit ad hæc hæreticorum capitale odium atque inuidia, exinde maxime orta, quod ſoli ſapere, ſoli omnia curioſius inueſtigare velle viderentur *y*), vnde facile nutrimentum accepit ſuſpicio, ſacrorum etiam librorum lectionem curioſitatem eorum non effugiſſe. Mirum vero eſt, quam fœcunda fabularum mater extiterit æmulatio illa judaiſantium Chriſtianorum, & liberioris Gnoſticorum ſectæ, cujus

x) *Hieron. Opp. Tom. IV. P. II. Epiſt.* 52. *ad Lucin.*

y) Cfr. *Tertullianum adu. Marc. L. V. c.* 17. — „Marcion — quaſi & in iſto diligentiſſimus explorator." Idem *de praeſcr. aduers. haer. c.* 8. 10. „*Nobis*, inquit, *curioſitate* non opus eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt euangelium. Cum credimus, nihil deſideramus vltra credere. Venio ad illum articulum, quem & noſtri prætendunt ad *ineundam* curioſitatem & *haeretci inculcant ad importandam curioſitatem*: ſcriptum eſt, inquiunt, *quaerite & inuenietis* — — Sed *omnem prolationem quaerendi & inueniendi credendo fixiſti*: — vbi enim erit finis quærendi? vbi ſtatio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit: quærite & inuenietis! — Regula fidei a Chriſto inſtituta nullas habet apud nos quæſtiones, *niſi quas hæretici inferunt* — *Nihil vltra* (regulam fidei) *ſcire omnia ſcire eſt!*"

cujus eruditionem cum metuerent illi, videndum profecto erat, vt diſputationem cum hæreticis ineundam detrectare poſſe jure quodam viderentur. Qua in re quam maxime adjuuit eos hæreticorum, quam jactabant, in adulterandis libris ſacris licentia z). Eo enim inuidiæ prolapſa eſt æmulatio illa, vt adeo hæreticos non *poſſe* libris ſacris, niſi deprauatis, vti pronunciarent, ſuis tantummodo codicibus antiquitatis auctoritatem vindicantes a).

§. XVII.

Erat hæc autem ſcriptorum, qui contra hæreticos pugnarunt, plerorumque conſuetudo, vt, quæcunque tandem crimina *ſingulis* tribueret communis rumor, in vnum omnia hominem, quem præ reliquis metuendum putarent, aut qui princeps eſſet ſectæ, conjicerent. Itaque cum

z) *Tertullian. de praeſcr. &c. C. XV.* „Scripturas obtendunt hæretici, & hac ſua audacia ſtatim quosdam mouent: in ipſo vero congreſſu *firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, *non admittendos eos ad vllam de ſcripturis diſputationem.* Si hæ ſunt *vires eorum, ne eas habere poſſint*, diſpici debet, *cui competat poſſeſſio ſcripturae, ne is admittatur ad eas*, cui nullo modo competit." Idem repetit c. XVIII. XIX. Neque primus hac arte vſus eſt Tertullianus. Jam enim Irenæus ſolis eccleſiæ presbyteris interpretationem & genuinam lectionem ſcripturæ vindicauerat, *aduers. haer. L. IV. c.* 32. §. 1. *c.* 26. §. 5.

a) *Tertullian. de praeſcr. &c.* C. XXXVIII. „Illic — igitur & ſcripturarum & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propoſitum, aliter docendi, eos *neceſſitas coëgit*, aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ — non *potuiſſet* illis ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum". Cfr. *eundem adv. Marcion. L. IV. c.* 4.

cum librorum ſ. impie corruptorum Gnoſticos accuſaſſet vulgaris opinio, facile fieri potuit, vt ſola hujus auctoritate motus Marcionem ejus criminis reum faceret Irenæus. Valentino enim, quem vnice præter Marcionem eodem crimine petere poterat, facile hunc præferebat, tum quia multo illo periculoſior eſſet, (*eccleſias* enim Marcioniticas ſuo adhuc tempore extitiſſe, Tertullianus auctor eſt *b*), tum quod integro eum inſtrumento vſum fuiſſe, e Valentinianorum commentariis *c*) *ſcire* poterat Irenæus, cujus fide etiam Tertullianus Valentinum dixit non lectionem, ſed *expoſitionem* ſcripturæ peruertiſſe *d*), *impropriis* quippe interpretamentis, a quibus Marcio alieniſſimus erat *e*).

Sed fateor, omnia facilius fluere, ſi ſumas, totam accuſationem ex incerto vagoque rumore ſingularis codicis, ſuorum in vſum a Marcione confecti, & Paullinarum epiſtolarum *ſelecta capita*, ſ. *epitomen* continentis, exortam eſſe. Illam vero epitomen ſi e Tertulliani & reliquorum narrationibus judicare vellemus, egregie falleremur *f*). Neque etiam *criticas* rationes in eo conficiendo ſecutus fuiſſe putandus Marcio eſt. Nam quod Tertullianus refert, Mar-

b) *Aduers. Marc. L. IV. c.* 5.

c) *Adv. haer. L. I. c.* 1. §. 1.

d) *De pr. a. h. C. XXXVIII.* „Marcion exerte & palam machæra, non ſtylo vſus eſt, quoniam ad *materiam ſuam*, (h. e. prouti ſyſtematis ratio exigebat), cædem ſcripturarum confecit, Valentinus autem *pepercit, quoniam non ad materiam ſcripturas*, ſed materiam ad ſcripturas *excogitauit*; *auferens proprietates ſingulorum verborum, & adjiciens diſpoſitiones non apparentium rerum.*"

e) *Origen. de princip. L. IV.* §. 8. *Comm. in Matth. Opp. Vol. III. p.* 655. „Μαρκιων φασκων, μη δειν αλληγορειν την γραφην."

f) Etiam *Corrodii* (l. c. *P. II. p.* 205.) contra conjecturam illam argumenta ex opinione nata ſunt, Tertullianum atque Epiphanium vidiſſe Marcionis codicem.

Marcionem Paullinas epiſtolas a „Pſeudapoſtolis & judaicis euangelizatoribus" *interpolatas g*) crediſſe, ſine dubio ad conjecturas pertinet, quibus juuare adeo voluit Marcionis hiſtoriam. Simile quid dixiſſe Marcionem vero haud abſimile eſt, nempe judaicas hinc illinc *opiniones* admixtas eſſe Paullinis epiſtolis, eadem ratione, qua *euangelium* etiam h. e. *ipſam* Chriſti hiſtoriam a protectoribus Judaismi *interpolatam h*), h. e. judaicis opinionibus tinctam fuiſſe dictitabat.

§. XVIII.

Scilicet Marcionis omnis hæreſis a contemtu Judaismi progreſſa fuerat *i*), cujus cauſa *k*) cum ex eccleſia ejiceretur,

g) *Aduers. Marc. L. V. c.* 19. coll. al. loco *de praeſcr. adv. h. C. XXXVIII.*

h) Non Euangelia, ſed *euangelium* interpolatum dixiſſe Marcionis Antitheſes, e *Tertulliani*, loco apparet, *L. IV. c.* 4., quanquam hic, vocem: *euangelium*, ſingulari numero a Marcione vſurpatam, de ſingulari *narratione* hiſtoriæ Chriſti, re male intellecta, interpretatus, *ſcripturae* interpolationem (*Lib. V. c.* 3.) exprobraſſe Marcionem credidit. *Ipſam* autem hiſtoriam de Jeſu Chriſti vita & præceptis, non ſingulos de ea *libros*, deprauatos crediſſe Marcionem ex eo apparet, quod ad Gal. II, 7. prouocaſſe perhibetur a Tertulliano (IV, 2.), vbi non de *libro* ſingulari, ſed de *ἀληθείας ipſius* euangelii loquitur Apollus. *Suum* autem de vita Jeſu librum ſi *Paulli* vocauit Marcio, *Paullinum* dicere voluit. Ipſi enim Paullo Euangelium ſuum adſcripſiſſe Marcionem, ex eo tantum concluſit Tertullianus, quod *Lucam*, Paulli ſectatorem, elegiſſe ei videbatur Marcio, quem cæderet, (*l. c.*) Neque de ea re ipſe prorſus certus erat Tertullianus, ſed *ponit* tantum: „*ſi* ſub ipſius Paulli nomine ev. M. intuliſſet" l. c.,

i) *Iren. L. I. c.* 27. §. 2. *Pſeudotert. c.* 51. *Epiphan. Haeres. XLII*, 2. coll. S. V. *Storrio in der Einleitung zum Brief an die Ebræer p. XLVIII.*

k) Hoc certum eſſet adeo ex *Epiphanii* & *Pſeudotertulliani* fabula,

retur, jam demum cœpit Gnoſticorum ſe ſcholis addicere. Igitur inter eum & reliquos Gnoſticos magnum diſcrimen intererat, quod non a ſomniis philoſophicis ad Judaismi contemtum, ſed ab odio demum Moſaicæ legis antea jam, atque ex ſolis, vt videtur, Paulli epiſtolis accepto, progrederetur ad notiones quasdam philoſophicas, in Gnoſticorum, quibus adjungere ſe cogebatur, ſcholis arreptas. Igitur, quæ de eo circumferuntur, philoſophemata longe etiam aliter, ac reliquorum Gnoſticorum interpretanda ſunt. Facile jam quoque intelligimus illas Deorum Marcioniticorum *l)* nænias. Neque enim ſine dubio credidit, Judæorum legislatorem, mundique conditorem diuerſum a ſupremo numine *Deum exiſtere*, ſed indicabat eo diſcrimine diuerſas de Deo *opiniones: vulgares* eorum, qui mundum a Deo productum crederent, & Judæorum, qui legem imperfectiſſimam *m)* a ſupremo numine profectam putarent: *perfectiores* aliorum, qui materiam, mali fontem, ſupremo boni principio opponerent, neque legem Moſaicam, (rudem illam, vt dicebat, atque indignam), ſupremi numinis ſanctitate dignam crederent *n)*.

§. XIX.

Satis autem jam apparet, quæ maxime loca ab eclogis iſtis Paullinis abfuiſſe putanda ſint. Nempe Marcio, etſi

la, ſi vera fuerit *Beauſobrii* ingenioſa interpretatio. Vid. *Hiſtoire de Man. P. II. p.* 77. *ſs.* & *Moshemii Comm. de rebus Chriſtian. ante Conſtant. M. p.* 403.

l) *Iren. L. III. c.* 25. *L. IV. c.* 33. *Tertull. adv. M. L. I. c.* 2. *Epiph. Haer. XLII,* 9. *Theodoret. fabul. haer. L. I. c.* 24.

m) Cfr. *Beauſobrium L. IV. C.* 6. §. 22.

n) Interpretationem hanc pati ſyſtema Marcionis ex eo clarum eſt, quod etiam de *duplici* Meſſia loquebatur, non quia duos crederet diuerſos ab ſe inuicem *exiſtere* poſſe, ſed quod diuerſam de eis opinionem, deteriorem alteram Judæorum, alteram meliorem perfectiorum

etſi Paullum reliquis omnibus Apoſtolis anteponeret, haud tamen ſine dubio credidit omnes eum judaicas opiniones exuiſſe, aut ſaltem eum opinatus eſt, Chriſti ipſius exemplo *o*), capacitati audientium indulſiſſe *p*), ad opiniones judaicas deſcendiſſe, ſermonibus admiſcuiſſe ea, quæ ſunt *legalia q*), h. e. ad legem Moſaicam pertinentia, & ſi vel omnia ſciuerit, non tamen omnia omnibus tradidiſſe *r*), ſed *inter perfectos* tantummodo (*1. Cor. II*, 5.) ſapientiam locutum eſſe *s*). Arcaniorem autem illam diſciplinam *t*) cum ad ſe traditione perlatam crederent plerique Gnoſticorum *v*), facile intelligitur, quo ſenſu veraciores ſe ipſis Apoſtolis *x*) eorumque adeo emendatores eſſe *y*), dicere potuerint. Neque jam dubium eſſe poteſt, quo conſilio Paulli epiſtolas breuiauerit Marcio, nempe, non vt ea, quæ reſcinderet, loca *Paulli* non eſſe cuiquam perſuaderet, ſed vt purum, atque judaicis opinionibus incontaminatum *z*) librum ſuis traderet.

§. XX.

ctiorum Chriſtianorum, diſtinguere vellet. *Tertull. L. IV. c.* 6. „Conſtituit M. alium eſſe Chriſtum, qui Tiberianis temporibus a *Deo* quondam reuelatus ſit in ſalutem *omnium gentium*, alium qui a Deo *creatore* in reſtitutionem *judaici* ſtatus ſit deſtinatus quandoque venturus". Verbum *venturus* perperam ab *Huetio* (*Origenian. L. II. quaeſt.* 3. *c.* 15.) & *Moshemio* (*Comment. &c. p.* 408.) refertur ad Marcionis tempora, cum referendum ſit ad vocem: *deſtinatus*, hoc ſenſu: alium eſſe Meſſiam, quem Dei creatoris vates in reſt. j. ſt. *quandoque venturum praedixerint.* Nam, vt nihil dicam de *grammatica* neceſſitate, Meſſiæ judaici expectatio ita a Marcionis ſyſtemate aliena eſt, vt vix videam, quomodo ferri poſſit illa interpretatio.

o) *Iren. adv. haer. L. III. c.* 1. §. 2. *Tertull. adv. Marc. III.* 15.

p) *Iren. l. c.*

q) *Idem c.* 5. §. 1.

r) *Tertull. de praeſcr. a. h. c.* 22.

s) *Iren. L. III. c.* 2. §. 1.

t) *Idem L. III. c.* 1. §. 2. *c.* 3. §. 1. *Tertullianus de praeſcr.* &c. *c.* 25.

v) *Iren. L. III. c.* 2. §. 1.

x) *Idem L. I. c.* 27. §. 2.

y) *Idem L. III. c.* 1. §. 1.

z) *Idem l. c.* §. 2.

§. XX.

Pauca adjicio de *vſu* accuſationum illarum *critico*. Ne enim dicam multis, quam egregie nobis criticum ſcriptorum antiquiſſimorum ingenium depingant, eo ſaltem inſeruiunt, vt, qualis ſecundo jam ſeculo *textus* N. T. ratio fuerit, quænam *recenſionum* jamjam ſubnata differentia, quanta *lectionum* eo jam tempore diſcrepantia, doceant. *Variarum* autem *lectionum* inſignis numerus ex iis colligitur eo facilius, quod non ex *allegationibus* tantum, ſed ex ipſa diuerſorum codicum *comparatione*, ab iſtis jam ſcriptoribus inſtituta, hauriendæ ſunt. Ad *Tertullianum* inprimis quod attinet, latinæ verſionis hiſtoriæ multum inſeruire poſſet eo certius, quo diligentius videtur ſingula loca deſcripſiſſe. Namque allegationes ejus prima recentis latinæ translationis elementa quaſi continent. — Denique eo ſaltem nomine memorabiles ſunt omnes iſtæ Marcioniticarum corruptionum criminationes, quod in iis conſpicimus ſacræ critices prima, parua quidem, nec ſpernenda tamen prorſus, initia.

CORRIGENDA.

Pag. 4 lin. 8. pro: *concinatum*, l. *concinnatum*.
— 6 not. *r*) lin. vlt. pro διαςιροφως, l. διαςροφως.
— 8 §. III. lin. 8 pro *incertitudi*, l. *incertitudo*.
— 12 lin. 22 pro: decerptos l. *decerptas*
— 14 — 20 — *probaturam* l. *probatura*
— — — 23 voci: *ſejunctum*, adde v. *vellet*
— 15 — 15 pro: *lectionum* l. *lectionem*
— 16 — 1 — *& Italam antiquam* l. Italam antiquam *& paucos alios*.
— 21 — 20 vox *vindicande* ex h. l. remouenda, & lin. antec. poſt vocem: *eos*, inſerenda eſt.
— 28 — 5 pro *ſint* l. *ſunt*

Peto a lectoribus, vt ſphalmata hæc, quæ me, dum corrigendæ eſſent plagulæ, e prelo prodeuntes, multis modis diſtractum effugere, corrigant antea, quam ad legendum accedant.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS HUJUS AUCTORI

PRAESES.

Ingenii TUI vis et præſtantia in ſuperioribus, quæ extant, doctrinæ et induſtriæ TUÆ ſpeciminibus ita elucet, ut, hujus etiam opuſculi, quamvis in alio doctrinarum genere verſantis, laudem TIBI ſoli tribuendam eſſe, ne verbis quidem egeat. Nec mihi dubium eſt, quin, ſi quid eorum, de quibus a TE diſſentiam, in publica diſputatione oppugnetur, mea opera tam facile poſſis carere in defendendo, quam in commentando et ſcribendo caruiſti. Divina providentia faxit, ut literarum et divinæ præſertim Jeſu Chriſti doctrinæ ſtudia ex venerandi Parentis TUI et bonorum omnium ſententia quam diutiſſime ac veriſſime TIBI liceat ornare et amplificare.

BR Schelling, Friedrich Wilhelm
65 Joseph von
M376S35 De Marcione
1795a

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 12 04 24 09 007 5